

## PROOEMIUM

Reverendissimi Patris Superioris Generalis

Inter manifestationes occasione centenarii proclamationis Sancti Alfonsi qua Ecclesiae Doctoris praeparatas, litteris nostris circularibus ad Congregationem Sanctissimi Redemptoris die 15 martii 1971 datis praenuntiavimus editionem particularem «Spicilegii Historici C.Ss.R.», studio historico huius eventus tanti momenti destinatam.

Laeto animo hodie hoc opus, cura Instituti Historici C.Ss.R. paratum, praesento.

Plus quam dimidia huius voluminis pars causam doctoratus directe tractat. Cum primo quidem capite agatur de conatu, incassum sane facto, immediate post canonizationem Fundatoris nostri, capite secundo fuse explicatur diuturnus processus, quo denique, anno 1871, ad declarationem doctoratus perventum est, ita ut lector pedetentim, innixus documentis plerumque ineditis, persequi possit conamina redemptorianorum sodalium, ac praesertim Reverendissimi P. Mauron, assequendi subscriptiones necessarias ad introducendam causam doctoratus Sancti Alfonsi. Quibus e documentis elucet non solum auctoritas, qua Sanctus Alfonsus apud Praesules pollebat, sed istorum quoque mens instante Concilio Vaticano I.

Completur volumen collectione documentorum, quibus de litterarum commercio Sancti Alfonsi agitur necnon de acceptatione doctrinae eius moralis, eo adhuc vivente. Accedunt studia quaedam, quibus directe quidem de doctoratu Sancti Alfonsi non fit sermo, sed tamen cognitio operis et doctrinae Fundatoris nostri valide promovetur.

Denique «Bibliographia Alfonsiana», ultimos viginti annos complexa, locum proprium personae et doctrinae Sancti Alfonsi in publicationibus nostrae aetatis manifestat.

Nota particularis huius voluminis sita est praeprimis in publicatione documentorum adhuc ineditorum, e quibus ad hodiernum

quoque usum quaedam deduci possunt: Sanctus Alfonsus titulum Doctoris consecutus est non solum e valore intrinseco suae doctrinae, sed etiam e strenuo conatu redemptorianorum sodalium ei procurandi titulum istum invidendum. Neminem sane fugit Sancti Alfonsi pondus nostra aetate non iam esse idem ac fuit ante saeculum. Nobis tamen incumbit officium capiendi fructus e deposito nobis concredito illudque praesentandi iis verbis, quae hominibus huius saeculi pateant. Quod idem asseruit Em.mus Cardinalis J. Villot, litteris die 28 iunii 1971 datis: « Vestrum enim est eius quasi spiritum perpetuare eiusque persequi opus ».

Sit istud volumen non sola pietatis filialis manifestatio, sed exordium novi conatus, ut doctrina opusque Sancti nostri Fundatoris pro hominibus huius nostrae aetatis sit frugiferum.

Romae, ad Sancti Alfonsi,  
die 16 octobris 1971.

Tarcísio Ariovaldo Amaral C.Ss.R.  
*Superior Generalis*